

§. 2. Si verò quæstio proposita intelligitur de principio secundō modō sumto, nempe *complexō*, id est vel *ultimum absolute*, vel *secundum quid*: *absolutè ultimum principium cognoscendi complexum in Theologiâ revelatâ est*, in quod tandem omnes conclusiones resolvi necesse est, ut in eō sit subsistendum & acquiescendum, nec ulterius in aliud principium complexum conclusio resolvatur, hoc principium est hæc præpositio: *Quicquid Scriptura S. ab ipsâ veritate nempe Deo profecta dicit, est infallibiliter verum*, huc enim in conclusionibus Theologicis tandem est deveniendum, quod veræ sint, quia Scripturæ Sacræ sunt, quicquid verò Scriptura S. dicit, infallibiliter verum est. *Principium cognoscendi complexum ultimum secundum quid in Theologia revelatâ est propositio*, ex quâ conclusio Theologica deducitur, & in illam resolvitur, ut tamen illa ipsa propositio in aliud principium possit resolvi, h. m. quælibet propositio Scripturæ sacræ divinitus inspiratae, quatenus ex eâ conclusio Theologica deducitur, dici potest *complexum cognoscendi principium in Theologiâ*, e. g. cum ex hâc præpositione, *Christus est Dei Patris Filius unigenitus*, inferatur, Ergo Christus est verus Deus, propositio, *Christus est Dei Patris Filius unigenitus*, est principium cognoscendi, respectu illatae conclusionis, *Christus est verus Deus*, & quidem ultimum secundum quid, quia potest resolvi in illud primum: *Quicquid Scriptura Sacra dicit, infallibiliter verum est*.

§. 3. Si denique principium tertio modō sumitur, pro eo quod conclusionum Theologicarum principia actu in se continet, sive ex quô solo principia conclusionum Theologicarum desumuntur, id est Scriptura Sacra, eaque sola, non quatenus sumitur pro hoc termino, *Scriptura Sacra*, sed quatenus notat rem ipsam, *ipso scilicet libro canonico*, & *divinitus inspiratos*, ex his enim desumuntur principia, ex quibus conclusiones Theologicae deducuntur, dicta enim Scripturæ nihil aliud sunt, quam principia complexa conclusionum theologicarum. Studio dico: *Libros Canonicos*: hi soli enim, quia profecti sunt ex divinâ inspiratione, infallibilis sunt veritatis, ac proinde infallibilia suppedant principia ad conclusiones theologicas inferendas. Excluduntur itaque libri apocryphi, de quibus, quod divinitus sint inspirati & infallibilis ac divinæ veritatis, non constat.

C

§. 4. Non